

tis verbis meis, dicit Dominus? Prævaluerunt sermones Jonadab filii Rachab, quos præcepit filiis suis ut non biberent vinum, et non biberent usque ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris sui: ego autem locutus sum ad vos de mane consurgens et loquens, et non obedistis mihi. » Eodem prorsus modo arguet nos, si non audieremus præceptum matris nostræ Ecclesiæ, quæ de mane, a tempore apostolorum scilicet usque ad diem hanc præcipit et inculcat nobis per episcopos et pastores jejunium quadragesimale et abstinentiam a carnibus. Quid igitur superest, nisi ut Rechabita illi immorigeros Ecclesiæ filios accusent et condemnent? Præceptum illud Jonadab non fuit strictum sub aliqua comminatione vel pœna injunctum, sed vel volentibus filiis impositum, vel consilium tantum, (quia durum erat valde posteros obligare ad omnem vini abstinentiam per totam vitam; ut ibi notat Cornelius a Lapide,) annexam habens promissionem longæ vitæ: *Ut vivatis multis diebus super faciem terræ*; quia scilicet filiis honorantibus parentes promittitur longævitas vitæ, Exod. XX. At præceptum jejunii strictum est, quia nec durum, per paucos tantum dies ab unico prohibens cibi genere, et annexam habet comminationem pœnæ. Ejus rei specimen edidit Sanctus Godofridus episcopus Ambiensis in suis subditis, qui eo in Carthusia degente quadragesimam carnium usu violarunt; suspendendo eos ab eucharistiæ mensa usque ad secundam paschatis feriam. Cumque unus eorum spreto ejus mandato muliebrem sexus mentiens, communioni se ingessisset, repente tanto viscerum dolore correptus est, ut humi stratus et spumas cruentas ejiciens, eucharistiam cum multo sanguine evomere coactus sit, ut in ejus vita Nicolaus monachus Suession. apud Lipel. 8. dec. Denique, Innocentius III. ad Brachar. archiepiscopum, de observatione jejunii, consilium nostrum, vult etiam pro iis, quibus exurgente causa conceditur licentia vescendi carnibus, oretur; quasi etiam illi pœna aliqua compensare licentiam illam debeant. Quem non terreat hoc verbum summi Ecclesiæ pastoris.

II. *Si Dei Filius* et bonus Christianus es, non potes dubitare Ecclesiam matrem sapientissimam rationabili de causa permotam, carnis esum præ aliis cibum nobis prohibere. Ipse enim apostolus ad Rom. IV. ait: *Bonum est non manducare carnem*. Bene ergo et consulto præcepit id Ecclesia. Primo, ad nostram mortificationem et poenitentiam, ut quia ab omnibus cibis juxta exemplum Christi abstinere non possumus,

saltem ab aliquo, eoque magis delectabili abstinere. Cujus rei specimen nobis dedit David, quando concupitam aquam e cisterna Bethlehem, utique cæteris meliorem, sibi allatam effudit, ut suam concupiscentiam castigaret, II. Reg. XXIII. Parum aut nihil est a vilioribus abstinere, interim se lautioribus replere.

Secundo, ut per carnis abstinentiam præparemus vasa nostra ac mundemus ad eucharistiæ sumptionem. Caro enim carnalium cogitationum et concupiscentiarum seminarium quoddam est, magis quam alii cibi, itaque cum carne Christi virginea et sanctissima esuriales cibi melius cohærent. Certe Hebræi nervum non ederunt, ex quo illorum patriarcha Jacob in nervo femoris ab angelo incisus fuit, Gen. XXXII. Nervis malarum concupiscentiarum non minus est carnis esus; quid mirum si interdum saltem incidatur et a mensa excludatur? Præsertim quia simul etiam meminisse possumus Domini nostri, cujus caro in passione misere propter nos laniata et cruentata fuit.

Tertio, ut nostra exerceatur obedientia erga Christum et Ecclesiam. Hanc etiam ob causam arbor scientiæ boni et mali posita fuit in paradiso, in se bona optima; optimisque vestita fructibus (omnia enim quæ fecit Deus, bona valde erant) ad probandam in ea primorum parentum obedientiam. Ideoque divina destinatione et eventu a Deo præviso appellata est *lignum scientiæ boni et mali*: quod in ea deprehendendi essent. Si obedirent et abstinerent ab ea, boni; si non, mali futuri: ut docet S. Augustinus, XIV. de civit. cap. XVII. Sanctus etiam Basilius, hom. IX. Quod Deus non sit auctor malorum, id expresse docet: « Cur, inquit, lignum hoc in paradiso fuit per quod nos diabolus tentaturus erat? Si enim deceptionis escam ac materiam non habuisset, quoniam modo nos sibi obtemperando ad mortem deduxisset? Quoniam mandatum esse oportuit, ut nostram erga Deum probaret obedientiam. Ideo planta pulcherrimis fuit floribus scatens, ut in abstinentia voluptatis, animi continentis virtutem ostendentes, patientiæ coronam promererentur. » Sic ille. Jam vero idipsum facit Deus per Ecclesiam in esu carnis. Itaque certo sibi persuadeant, homines illos bonos esse, qui huic Ecclesiæ præcepto obediunt, malos qui non obediunt, temere scilicet, et absque rationabili causa.

III. *Si Filius Dei* et bonus Christianus es, utique tam cordatus ac robustus eris, ut unico illo cibo abstinere possis, quo carere poterant in primis homines a creatione mundi usque ad

diluvium per annos 1656. et amplius. Prius enim legitur Deus herbas tantum homini dedisse in escam, postea autem et animantia, Gen. I. et IX. Et quem illi intem sanis fuerunt! Quanto tempore vixerunt! Tunc poteris ad breve tempus carnibus abstinere? Accusant multi primos parentes, quod una arbore vetita, aliis omnibus concessis, non abstinuerunt: et cur filiæ Adæ carnibus ad tempus permissis, aliis esculentis abstinere nequeunt; quibus tamen abstinit Adam, cum totius orbis monarcha esset? Sed quid Macchabæi septem adolescentes? Nonne dirissimis tormentis excrucii ac mori maluerunt, quam porcina gustare, quam lex non naturalis, sed cæremonialis tantum eis prohibuit? II. Macch. VII. Quam modica differentia inter vitulinam et porcina? Et tamen cum illam ederent, hanc priusquam gustarent, laniari maluerunt. Cumque amici Eleazaro de primoribus Scribarum suaderent, ut simularet comestionem, et afferret carnes similes porcinis, noluit vel simulare vetitam comestionem, et mori præoptavit in atrocibus tormentis, II. Macch. VI. Quid commemorem quadraginta illos rusticos, cui cum a Longobardis immolantibus carnes comedere cogentur? Et recenset S. Gregorius, I. dial. c. XXVII. ne vetitum comedendo conditorem suum offenderent, elegerunt gladiis vitam finire.

Quid nostræ ætatis, et e scholis nostris, puerum decennem Viennensem, qui anno 1561. cum jubilæi causa triduo præscripto jejulare vellet, a parentibus tamen Lutheranis prohibitus, domoque expulsus ad aviam catholicam profugit, ibique jejunia peregit? In II. tom. annal. soc. n. 168. Tu ergo non poteris quod isti pueri et rustici?

IV. *Si Filius Dei*, et bonus Christianus es, nihil habeto commune cum dæmone et ejus asseclis. Ad quid carnem tibi tali tempore offert Satan et ministri ejus hæretici; quia nimirum ejus comestionem in odium ss. canonum, præcipue suadet hæresis. Unde qui non abstinent, parum catholici habentur, imo cum hæreticis sentire putantur. At vero quid Filio Dei et Ecclesiæ cum hæreticis? Quæ conventio Christi et Belial, id est, hominis exlegis? Hæretici destinata opera devorant carnes his diebus, ut nobis insultent; et lætantur cum male faciunt; ut quid non etiam nos insultamus ipsis rigida abstinentia; et lætamur cum bene facimus! Hinc enim vetuit jejulare Melchisedes Pp. diebus dominicis et feriis quintis in odium gentilium et hæreticorum, qui id ex superstitione faciebant, ut alibi retulimus.

Dei que, astus dæmonis totum hoc molitur, ut una cum buccella intret in os hominis, sicuti in Judam, et denique accuset eum ac prodat, sicut prodidit primos parentes, post lapsum eos secutus cum se absconderent fugientes. Ibi enim deprehensus et damnatus fuit serpens, ubi et Adamus; ergo usque ad medium ligni, seu densarum arborum, secutus erat reum. Quis vero aures præbeat tali consiliario, qui præbenti proditor et carnifex efficitur? Quare sicut improbi illi apud Isa. cap. XXII. non tam alliciunt, quam repellunt, dum aiunt: *Comedamus et bibamus, cras enim moriemur*, ita etiam Satan sua carnis illecebra magis terret, quam invitat. *Terruisti, non seduxisti*, (ait S. August. in Psal. LXX. explicans illum Isaia locum) *plane hoc ipso, quod postea dixisti: Cras enim moriemur. Adi contra a me: imo jejunemus et oremus, cras enim moriemur*. Idipsum etiam nos respondeamus Satanae: *Terruisti, non seduxisti, plane hoc ipso, quod dixisti: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes (vel, ut panes isti carnes) fiant*. Audi contra a me: imo jejunemus, et a carnibus nunc abstineamus, quia Dei filii et boni Christiani sumus, et manere volumus. Vade igitur Satana: et accedite ad nos angeli Dei, ut vestro saginati cibo, qui jejunium et abstinentia est, tandem in vestrum adseiscamur numerum, et una vobiscum stemus ante Deum, ministrantes, et laudes ei canentes per infinita sæcula.

CONCIO III.

CONCUPISCENTIÆ TRIPLICES EXTERMINANDÆ.

I. Concupiscentia oculorum seu avaritia. — II. Concupiscentia carnis. — III. Superbia.

THEMA.

Vade Satana. Matth. IV.

Tribus armis instructus venit Goliath contra Davidem gladio, hasta, clypeo. Ita enim David ad ipsum: *Tu venis ad me cum gladio, et hasta, et clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini*, I. Reg. XVII. Tribus etiam armis oppugnat Satanas Christus in hodierno evangelio, gula, avaritia et superbia. Gula, offerendo ei lapidem in panem vertendum; avaritia, ostendendo et promittendo omnia regna mundi; superbia, deferendo obsequium angelorum. Nimirum hæc illi triplicia dæmonis tela sunt, quæ edicit S. Joan. I. Jo. II. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et*

superbia vitæ. His armis egressus est, et stravit primos parentes nostros. Concupiscentia carnis, persuadendo eis lignum vetitum; concupiscentia oculorum, dicendo: *Aperientur oculi vestri;* *superbia vitæ,* dicendo: *Eritis sicut dii.* His tribus telis retinuit et abstraxit a cœna illa magna invitatos, alios empta villa, quæ est *superbia vitæ*: alios emptis bobus, quæ est concupiscentia oculorum: alios uxore ducta, quæ est concupiscentia carnis. Denique, hæc tria ejecit e templo Christus, cum prima vice venit Jerosolymam prædicaturus: concupiscentiam carnis in bobus et ovibus: concupiscentiam oculorum in mensis nummulariorum: superbiam vitæ in columbis. Nos, auditores, cum quadragesimam inchoavimus, pugnam cum dæmone incepimus. Itaque contra hæc tria ejus tela armare nos debemus, et conari, ut illum e corde nostro prorsus ejiciamus.

I. *Concupiscentia oculorum,* cujus objectum sunt aurum, argentum, gemmæ, prædia, domus, res curiosæ. Sunt certe divitiæ, si amentur, magnum impedimentum tendentibus ad cœlum, (quo per hos quadragesimæ præsertim dies tendimus) non secus ac quadrigæ in militia, quæ idcirco vocantur *impedimenta*; non secus ac sarcinæ et ponderosæ vestes, quales Arhanatos vir robustus gestasse scribitur a Plinio, l. VII. c. XX. (quem se vidisse ait) prodigiosæ ostentationis, qui thorace plumbeo quingenario indutus, colthurnisque quingentorum pondo calceatus, per scenam ingressus est: non secus ac mures illi apud Phædrum, cæteris grandiores, et duces, qui capitibus suis alligantur cornua, ut reliquis vexillum præferrent, ingruentibus autem repente mustelis fugientes ad foramina hæserunt in portis. Ita enim divitiæ cum amantur ac cupide quærentur, impediunt progredientes ad cœlum, traduntque eos in manus dæmonum. Unde Paulus, I. Tim. VI. ait: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli,* (S. Cyprianus legit: *In museipulam*) *et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines ad interitum.* Non ait, qui divites sunt; sed: *Qui volunt divites fieri.* Non enim divitiæ damnant, sed cupiditas et amor earum; quem sequitur nimia cura, ambitio, superbia, Dei contemptus, etc.

Quid igitur factu opus? Expellendus est hic latro animæ nostræ. Qua ratione? Primo, contrario pharmaco, largius effundendæ opes in pauperes et pios usus, quæ prius impensius conquirebantur. Sic parum sanguinis, qui nos gravat, emittendo, sæpe recuperamus valetudinem. Quod ergo ori nunc per jejunium detrahitur, pauperibus donetur, ne videamur non

Deo, sed bursæ nostræ jejulare. Nemo proinde jam dicat: Non habeo quod dem pauperibus. Sume namque mutuo a teipso, detrahendo quidpiam ori tuo, et da illud. Deinde, affectus a divitiis et possessionibus removendus est juxta id Ps. LXI. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere,* I. Corinth. id est, amorem, quomodo scilicet Ramises rex Ægypti erecturus maximum obeliscum, labore viginti millia hominum, filium suum cacumini ejus alligavit, quo cautior esset architector in illo erigendo, Plinius, lib. XXXVI. cap. IX. pluris obeliscum quam filium æstimans. Non ita apponamus seu alligamus cor divitiis, ut ipsis cadentibus simul cadat in desolationem, impatientiam, iracundiam, pusillanimitatem, diffidentiam, desperationem. Pereant potius divitiæ millies, quam cor nostrum semel.

Secundo, cor, id est, cogitationem et curas: quomodo principes negotia minora, quale est alendæ familiæ, censuum accipiendorum et similia, committunt præfectis suis, ipsi de vita sua et honore conservando, summisque rebus solliciti sunt: uti Putiphar, qui negotium militiæ gerendæ et suum exercitum curabat; rem vero domesticam committebat Josepho, Gen. XXXIX.

Tertio, cor, id est, intentionem suam dirigendo non ad terram et terrenas opes, sed ad cœlum: quomodo viator tendens ad destinatum sibi urbem, omnes pagos et oppida, quæ in via occurrunt a latere tantum aspiciunt, non ingreditur, nec curiose contemplantur. Ita Sanctus Gregorius, hom. XXXVI. ait: *Sit res temporalis in itinere, desiderentur æterna in perventione. Quasi ex latere aspiciatur, quidquid in hoc mundo agitur.* Eo pertinet quod Ecclesiastes, cap. XXXI. ait: *Beatus dives qui post aurum non abiit;* ibi scilicet figens intentionem et terminum suum.

II. *Concupiscentia carnis,* eaque duplex. Prior est cœdæ libidinis. Quæ nimium quantum hominem repellit e servitio et conspectu Dei, fontis omnis puritatis, eoque indignissimum reddit. Sunt enim homines obscœni, velut immundi canes, qui ubique e templis expelluntur fustibus ac flagellis. Unde clamat Sanctus Joannes, Apocal. ult. *Foris canes et impudici.* Beatus Petrus Damiani card. ep. n. ad Nicolaum II. Pp. I. I. ep. scribit caniculam prægnantem, cum Romæ cryptam S. Gregorii ex monasterio ejus ad clivum Seauri, (ubi fons est, unde bibebat ipse, cum per æstatem ibi degeret) casu ingressa esset, ubi biberet vel pareret, mox ut lectulo Sancti Gregorii appropinquavit, subito mortuam corruisse. Unde scribit: *Quanta ergo formidine pensanda sunt homini divina judicia, quando etiam*

in animalia ratione carentia tam terribilem Deum exerit disciplinam? Si enim ne simplicem quidem aquam, licet sancti loci noluit omnipotens Deus, ut insons canicula tangeret, qua putamus molestia tolerat, cum perversus quilibet ad percipiendum corpus ejus et sanguinem, sacris altaribus appropinquat? Scimus Ægyptiacam illam Mariam, cum adhuc impudica esset, ter ab ingressu templi Jerosolymis, ubi crux Christi asservabatur, divina vi repulsam, nec admissam fuisse, priusquam animum suum ab impudica vita firmo proposito avocaret. Quanto magis repelli meretur ab ingressu ad ipsam communionem corporis Christi, qui immundus est? Quis enim talis audeat ad purissimum sanctitatis fontem et amatorem castitatis accedere? Si rex Nabuchodonosor, non nisi nobilissimos ephēbos, in quibus nulla esset macula, decoros forma, nec nisi triennio regis cibus nutritos, et omnibus disciplinis exultos voluit stare in conspectu suo, Dan. I. et si rex Assuerus conjugem Esther speciosissimam non prius quam anno integro, præparatam voluit admittere ad regium thalamum, Esther. II. si hoc, inquam, mortales homines fecerunt, quomodo audebit apparere in conspectu Regis regum Christi, homo spurcus et immundus? Quomodo carnem suam hircio foetidiorum unne carni Christi virginæ, templo Spiritus sancti. Nonne hoc est, ipsam Christi carnem mergere in latrinam? Tunicam Joseph polymitam tingere sanguine hirci?

Posterior est gulæ, quæ ubi hominem occupavit, vehementer a servitio Dei avocavit; cum perpetuo cibum potumque eructet. Quemadmodum enim qui in pelle gulonis (quod animal est voracissimum, et in Suecia septentrionali capitur) dormit, illius animalis lepositatem quasi induit et perpetuo de voracitate somniat, teste Olao M. l. XVIII. c. VIII. ita qui gulæ assuevit, adeoque in sua ipsius gulonis pelle dormit; non nisi patinas et pocula cogitat, uti ille Prov. XXIII. qui somnians dicebat: *Quando evigilabo et rursum vina reperiam? Quid igitur faciendum? Carni de cibo et potu aliquid detrahendum per jejunii sedulam observationem. Ad hoc enim instituta est quadragesima. Pellis vetusta pertinaciter adhærens, longa inedia laxanda est, ut de serpente scribit S. Hieronymus, in ep. ad Præsidium, quod in eum finem quadragesima diebus jejUNET, quo laxatam pellem exuat et novam induat. Civitas valde munita diu et continua obsidione premenda est, ne recepto comæatu fortius se opponat. Veterem hominem et diu assuetum vitium exuere, multi temporis est.*

Deinde: *Carnis curam ne feceritis in desideriiis,*

ait apostolus ad Rom. XIII. Non prohibet carnis curam moderatam, sed curam in desideriiis, primo, ut ne nimio desiderio in cibum qualemcumque velut bruta animalia rapiamur, quam ob causam puniti fuerunt Hebræi plaga ignis, Num. XI. unde locus ille *incensio, et sepulera concupiscentiæ* appellatus; quia flagrabant, desiderio carniū. Ego ut medicamentum, non ut oblectamentum sumendus cibus et potus; ut egit S. Augustinus, l. X. confess. II. ne ob cibi expectationem impatientes fiamus. In quo graviter deliquit insignis ganeo Henricus Goritiæ comes: *Quando absente eo, qui cellæ vinariæ claves habebat, sitibundus ostium calcibus invasit; arguenteque eum Phæbo de Turri, qui secum nutritus erat, neque se sineret frangere repagulum, orante: Tace, inquit, me sitis, non te cruciat, ut Æn. Sylvius, l. II. comment. nu. LVI. refert.*

Ne delicata et peregrina vina et esculenta desideremus ad instar Hebræorum, qui carnes expetebant, et manna, licet optimum fastidiebant; quia color, odor, forma et figura semper eadem erat, ideoque puniti sunt, ut supra dixi: non etiam exactam nimis ciborum præparationem; ob quam causam reprehensi et demum morte plexi sunt filii Heli, qui carnes non coctas ab offerentibus, sed crudas exigebant, quas ad suum gustum studiosius coquerent, I. Reg. II.

III. *Superbia vitæ.* Mirum etiam in modum superbia impedit hominem a via cœli, et conspectu Christi, qui ad nos humilis venit, indignos reddit. Sensit certe Heraclius imp. regio indutus apparatu, auro et gemmis ornatus, se retardari in via, nec amplius progredi posse cum s. cruce, quam gestabat, in Calvariæ montem reponendam, exemplo Christi. In porta enim urbis sistere coactus est; ubi vero monitu Zachariæ episcopi habitum regis deposuit, et ut similior Christi fieret, plebeium induit, reliquum viæ facile confecit.

Quid igitur factu opus? Primo, de ornatu corporis aliquid detrahendum hoc pœnitentiæ tempore. Decet enim ut filii ac filiæ matrem suam sequantur. Mater autem nostra Ecclesia nunc cœruleis, deinde ultimis duabus septimanis, nigris paramentis se vestit, ut pœnitentiæ habitum et Christi mortem lugendam suis commendet. Mos est nautis, ut qui parvis navibus occurrunt majoribus, antennas demittant honoris causa, et navigare desinant, ut scribit Bembus, l. IV. hist. Venet. Quanto æquius est, ut nos infimi terræ vermiculi, occurrent, nobis Dei Filio eundem honorem præstemus? Vela et antennas superbiæ demittamus? *Quis tu mons magne coram Zorobabel (Christo) in planum? Zachar. IV. q. d.*

humilia te coram tanto principe. Deinde, si ob causam honestam et rationabilem vestiantur aliqui splendidius, placere tamen hominibus non cupiant, sed sibi ipsis displiceant, atque ut monet S. Augustinus, in ep. CXC. ad Ecdiciam in superbo ornatu habeant cor humile. Ita egit s. illa Esther, quæ ut flecteret Assuerum ad justitiam et clementiam erga gentem Hebræorum, ipsum allocutura se adornare debuit regio cultu, interrim tamen ad Deum orans dicebat: *Necessitatem meam, quod abominer, signum superbiæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, et detester illud, quasi pannum menstruata*: apud Gorioidem: *Sicut vir odit vestem muliebrem*. At qui vir in veste muliebri non facile superbit. Talis S. Editha virgo, filia Edgardi regis Anglorum, quam cum B. Ethelwoldus episcopus die quodam incedere ornatiori habitu vidisset, ac dixisset: *Non his filia mea indumentis itur ad Christi thalamum*, respondit: *Crede mihi pater, nequaquam deterior mens, Deo aspirante, sub hoc tegmine deget, quam sub pelle caprina, gestabat enim cilicium sub ea veste*, Sur. 16. sept.

Ergo auditores, faciamus ex hac concione flagellum, et ejiciamus e corde nostro Satanam, exemplo Christi, ut ipso nos deferente accedant ad nos angeli ss. et ministrent nobis.

CONCIO IV.

DÆMONEM MALITIA IN VARIIS BESTIIS DEPINGITUR.

Dæmones: I. Sunt serpentes. — II. Sunt scorpiones. — III. Sunt leones. — IV. Sunt pardi. — V. Sunt lupi. — VI. Sunt vulpeculæ. — VII. Sunt apri.

THEMA.

Ductus est Jesus in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo. Matth. IV.

Quadragesima dierum jejunium, quod confecit Christus, et nos aliquatenus imitando nunc inchoamus, in memoriam nobis refricat, et modo aliquo exprimit iter Hebræorum, quod annis quadragesima confecere per desertum, donec eo emenso ad terram sibi promissam pervenirent. Quemadmodum ergo in illo itinere Hebræi inciderunt in serpentes ignitos, a quibus icti plurimi fuerunt: ita etiam Christo Domino nostro in deserto jejunanti occurrit serpens ille antiquus, insidias ei tendens: neque dubitandum idipsum acitare cum Christi servis, qui suo hoc jejunio sequi Dominum suum volunt. Vides enim nos hac via tendere in terram lacte et melle manantem, adeoque ad sedes illas et cœlestes arces,

quæ ipsi paratæ erant, hinc invidiæ stimulo misere agitatus, omnibus quibus potest modis impedire iter et progressus nostros adlaborat, et cum cohorte sua sævarum instar belluarum vias nostras obsidet. Nos ergo ut circumspecte prosequamur iter nostrum, prius hostes illos considerare volumus, quo cautius evitemus ac superemus.

I. Sunt serpentes, ita enim in Scriptura frequentissime vocantur, uti *serpens antiquus*, Apoc. XII. quia ab initio primos nostros parentes per serpentes decepit, et ab eo tempore usque hodie impugnat genus humanum.

Causæ sunt. Prima, secundum S. Cyprianum, tract. III. de præl. simpl. diabolus dictus est serpens; quia cum latenter obrepit, ait, cum per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit (unde nomen serpentis accepit) ea est ejus astutia, ea circumveniendi homines cæca et latebrosa fallacia, ut asserere videatur noctem pro die, venenum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei; antichristum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentitur, veritatem subtilitate frustretur. Sic in hodierno evangelio Christum quasi esurientem pane tentavit, velut necessaria refectione ei, qui jejunio vires suas plane fregisset, ne sibi ipsi necem inferret, vel certe ad alia Dei obsequia inutilem redderet, etc. Pari astu conatur homines retrahere a jejunio: mulieres prætextu sexus infirmi, juvenes ratione incrementi, senes ob virium debilitatem, viros ob labores vel itinera, ad carniæ esum invitat, etc. Ita Sancto Francisco oranti occinebat: *Francisce, Francisce, Francisce, nullus est in mundo peccator cui, si conversus fuerit, non indulgeat Deus. Sed quicumque penitentia dura se necaverit, misericordiam non inveniet et in æternum*, sed vir sanctus astum ejus cognoscens, orare perrexit ferventius. Ut in ejus vita.

Secunda, quia serpentes insidiantur dormientibus, halituque eorum calido allecti in os quandoque ingrediuntur. Non aliter dæmones invadunt otiosos et somnolentos. Unde ad vigilantiam excitamur per quadragesimam. Facile etiam ingrediuntur eos, quos calere aliqua concupiscentia advertunt.

Tertia, quia uti serpentes fere in spinis, ita dæmones in divitiarum cupiditate, et voluptatibus habitant. Audiatur S. Chrysostomus, hom. VIII. in epist. ad Roman. *Veluti serpens, inquit, spinis occultatur, intra divitiarum imposturam assidue latitans, qui si spinas inciderit, facile aufugiet, timidus redditus*. Hinc etiam uti serpentes timent hominem nudum, et insiliunt in vestitum, et

sputo hominis jejuni enecantur velut veneno, teste Pierio, l. XIV. Bercorio, in reductorio, l. X. cap. LXXXIX. ita dæmones meruerunt contemptorem rerum temporalium, insiliunt in amatorem, juxta id apost. I. Timoth. VI. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli*. Hinc ut arbitror Jobum opulentum invasit et affixit, nudatum vero et inopem non est ausus aggredi, nisi ut quidam volunt, per uxorem. *Quidam renuntiaverat sæculo*, ait S. Anton. in hist. parte, tit. XV. capit. III. sed non perfecte, quia quædam adhuc sibi retinebat. Venienti ergo ad Antonium (abbatem) pro instructione suæ salutis, dixit ei Antonius: *Vade et eme carnes et cum eis ad me revertaris*. Quod cum fecisset, et eas secum portaret, canes in via eum infestabant multum, et lacerabant propter illam. Et cum venisset ad Antonium, declaravit molestiam, quam passus fuerat a canibus in via propter carnes. Tunc Antonius ait: *Sic qui sæculo renuntiant et retinent sibi pecunias, impugnantur a dæmonibus et discerpuntur*. Viderint etiam illi, qui nunc carnes devorant, quos comites secum trahant. Dæmonum etiam vires eliduntur per jejunium, quam ob causam Christus ad doctrinam nostram armavit se jejunio contra doctrinam. Si accedat etiam sputum, hoc est, contemptus cæcædæmonum magis adhuc fugabuntur, non ferentes confusionem.

II. Sunt scorpiones, teste Domino, Luc. X. *Eecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones*, hoc est, dæmones, ut censet S. Athanasius, in p. XXVIII. Theophyl. Beda.

Ratio est primo, quia ut scorpiones spiculum suum semper exerunt, velut gladium evaginatum et strictum gerunt ubique ad nocendum parati, teste Plinio, lib. XI. cap. XXXV. ita dæmones hominibus nunquam non insidias strunt, et nocere machinantur: nam etiam dormientibus nobis ipsi nunquam dormiunt, sed ubivis et quodcumque nocendi occasionem captant. Hinc Apoc. XII. draco visus a Joanne, stabat ante mulierem, Ecclesiam, ore utique hiante, singulis momentis expectans ejus partum, ut devoraret.

Secundo, serpens ferit obliquo ictu et flexu, ut ait Plinius, incedit quoque obliquo gressu, ut feriat ex improvise. Idem agunt dæmones: prætentunt quandoque rem bonam et piam periculo tamen expositam, et sub ejus prætextu inducunt ad lapsum. Sic ille, qui suasit eremicolæ egredi e cella ad vicinum monasterium, pro sacra communione, ubi detentum in prandio, et regressum induxit ad revisendam patriam, et adeundam (fictam solum) hæreditatem: sicque

eum sæculo affixit, et in fornicatione impulit. Ut Rosweidus, in vitis pp. lib. V. libello VII. refert. Simile est quod recenset S. Bernardus, ser. LXIV. in Cant. de monacho, qui abiit e monasterio parentes conversurus, sed ipsos non convertit, et seipsum perdidit.

Tertio, cum alias corporis partes pungat, volem tamen manus lædere non potest, teste Plinio; quod etiam se experientia comperisse scribit Bercorius, l. II. reduct. c. XXV. *Vola manus percutere, et alapas dare solemus*. Eos igitur, qui dæmonem feriunt, eique animose resistunt, non facile vulnerabit. Unde S. Jacobus, cap. IV. ait: *Resistite diabolo, et fugiet a vobis*. Est enim instar feminæ procacis, quæ viro timido impotenter dominatur, audacem vero timet, eique silens se submittit. Hinc S. Gregorius, l. III. moral. c. XVII. ait eum esse myrmicoleonem (de quo Job, cap. IV. ¶ XI. secundum Septuaginta dicitur: *Myrmicoleon perit, hoc est, formicaleo*) esse eum formicam audacibus, qui se ipsi opponunt: leonem vero timidus. Formica fuit Christo in hodierno evangelio, dum uno verbo *vade* fugatus est: et S. Antonio, qui eum ad certamen provocans: « Si habes potestatem, inquit, a Deo in me, exere, ecce ego: si non habes, quid frustra conaris? » Unde S. Greg. l. V. mor. c. XVII. ait: « Antiquus hostis sicut contra consentientes fortis est: ita contra resistentes debilis. Si enim ejus suggestionibus assensus præbetur, quasi leo tolerari nequaquam potest; si autem resistitur, quasi formica atteritur. »

III. Sunt leones, teste S. Petro, I. Pet. V. *Sobrii estote, ait, et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide*.

Ratio est primo, quia uti leo grandia et fortia animalia aggreditur, parva et vilia aspernatur; nec comedit nisi quod vivum reperit, teste Eliano, l. II. c. III. sic etiam diaboli *cibus electus* (ut dicitur Hab. c. I.) sunt meliores et sanctiores, quos aggreditur fortius multo, quam alios, qui communi dumtaxat mandatorum via incedunt, adeoque parvæ perfectionis sunt. Hinc teste Cassiano, collat. XXI. c. XXVIII. tempore quadragesimæ, cum fideles, carnem macerant et pietati se addicunt, magis eos tentat, quam aliis temporibus. Tunc enim potissimum irritatur et vulneratur, adeoque vindictam quærit.

Secundo, leo cum infirmatur, simias quærit et devorat, eorumque sanguine sibi medetur. Ita etiam dæmon cum pietate fidelium sauciatur ac frangitur, tum quærit sibi simias, h. e. hypocritas, stimulando pios ut opera virtutum faciant ad applausum et vanam gloriam: vel impios,